Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1329
Quelle:
Copyright:

DXC.

R. 2014 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 323. f. per duas columnas nitidissime exaratus, coloribus speciosus, et olim *fratrum Carthusiensium prope pragam*, quorum Codices exeunte Seculo praedicto, et imminente *Hussitico* Carthusiae excidio ad *Axbacensem* in *Austria* Conventum translati fuisse mihi videntur, plura complectitur, quae edissero. Initium facit Tractatus Dogmaticomoralis, cujus Praefatio incipit: *Cum solus in cella sederem et aliqua de catholica fide mente reuoluerem, cogitare mecum tacitus cepi. Quam esset absurdum. Quam inconueniens et iniustum. Quam et recte rationi contrarium dogma deridere catholicum. Dum docet deum unum esse et trinum, dum uerbum docet eternum carnem in tempore esse factum, dum docet* &c. Ita pergit enumerare Dogmata, quae praecipue captum hominum excedunt, et inde a Philosophis impugnantur, contra quos pollicetur usurum se Argumentis, quae *ad Hominem* vulgo dicimus, ab Exemplis sensibilibus petitis, *ut dum suis exemplis respondere non poterunt, eorum arrogantia mentis his naturalibus exemplis inuoluatur pariter et conuincatur. Nam sophistice questioni est alioquin sophistice respondendum et pro uerbo uerbum reddendum, ut dum uiderit homo, se non esse sufficientem respondere ad minima, credat se non posse ad majora.* Bona Methodus et vel hodie commendanda. *Erit ergo totale hoc opusculum in tres librunculos condivisum. In quorum I°. agetur de fidei articulis. In II°. de dominicis sacramentis. In III. de uirtutibus siue donis nec non et uitiis illis contrariis.* Pars porro I. censet *Capita* 21. II. 17. III. vero multo prolixior 92. Per totum Autor sua Philosophorum dictis, exemplis historicis, et similitudinibus e Naturae regno petitis stabilit et illustrat, eruditione nulli aevo suo inferior. At quod illud aevum? Seculum XIII. putem; *Richardum* enim et *Hugonem* citat. Cum vero *Ricardum* scribat et *Ugonem*, insuper *Romagnolam*, et frequenter *Barones* adpellet, *Italus* videtur et Monachus, quod e *Cella* arguo. Utinam et Nomen eruere licuisset!

II. *fol.* 112. p. 2. succedit *Sequentia de S. Agnete* in quadrilineari Schemate Notulis vetustis saltem Sec. XII. illigata, cujus initium:

Pulchra facie, sed pulchrior ihesu cristi fide
Agnes que diceris mors caduci mundi amoris
Et electrix sponsi uitalis decoris.
Nos torpentes in penitentie proris.
Prece pia virgo dya excita.
Ne erremus deuiemus patrie in uia.